Prebeat alchinoi poma benignus ager.
Officium numeret pauper studiumq; fidemq;.
Quicquid habet domine. conferat ipse sue.
Est quoq; carminibus meritas celebrare puellas.
Dos mea. quã nolui. nota fit arte mea.
Scindentur uestes. gemme frangunt(ur) & aur(um).
Carmina quã tribuant fama perennis erit.
Nec dare sed precium posci dedignor & odi.
Q(uo)d nego poscenti. desine uelle. dabo.

COlligere incertos & in ordine ponere crines.
Docta nec ancillas inter habenda nape.
Inq; ministeriis furtiue cognita noctis.
Utilis & dandis ingeniosa notis.
Sepe uenire ad me dubitãtem hortate corinnã.
Fida laboranti. sepe reperta mihi es.
Accipito & ad dominam paratas mane tabellas.
Perfer. & obstantes sedula pelle moras.
Nec silicum uene nec durũ in pectore ferrum ẽ.
Nec tibi simplicitas ordine maior in est.
Credibile est & te sensisse cupidinis arcus.
In me militie signa tuere tue.
Si queret quid agam spe noctis uiuere dices.
Cetera fert blanda cera notata manu.
Dum loquor hora fugit uacue bene redde tabellas.
Uerum continuo. fac tamen ipsa legat.
Aspicias oculos. frontem mandoq; legentis.
Et tacito uultu scire futura licet.
Nec mora perlectis rescribat multa iubeto.
Odi cum late splendida cera uacat
Comprimat ordinibus uersus oculosq; moret(ur).
Margine in extremo. littera rasa meos.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1668/0209
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG